

CANCELLE*
MARTIS B**
1718*

6021

IX A. G. 120.


52


~~175. 17~~


~~XXVIII. 9. a~~


[Faint handwritten signature or initials]











- XXIV. W. Jan. Strux. de probatione sponsalium nūm.
 XXV. Bodini de anticipato. concubiti.
 XXVI. Ej. de Conjugio illicito.
 XXVII. Zardili nos Eij. Fridrij. y. Zi. J. und E. H.
 XXVIII. Beck De Conjugatis de bitijuratione.
 XXIX. Merken de auo paterno ad alimenta nepoti illegiti-
 mo prestanda non obligato.
 XXX. Strux de destigiatione Patris & matris infantis
 facta.
 XXXI. Thomasti de usu pratico doct. Justiti. de legitimat.
 XXXII. Ej. de patris futurorum sponsaliorum.
 XXXIII. Jager de Concubinatu.
 XXXIV. Strux de Obliquine sponsaliorum et dissolutione.
 XXXV. Herold de fato. Matrimoniali de Eij. arden
 in J. und E. H.
 XXXVI. Juchowicz nos Eij. in möglichst E. in y. und E. H. H. H.
 XXXVII. Strux de natura sponsaliorum et divisione.
 XXXVIII. Schindler de sponsalibus et auctoritate.
 XXXIX. Müller moral. J. und E. H. H.
 XL. Bodini de Eij. und E. H. H.
 XLI. Müller nos Eij. und E. H. H.

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE

ANTICIPATIO
CONCUBITU,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO VVILHELMO
REGNI BORUSSIÆ ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HEREDE, &c. &c. &c.

EX DECRETO ET AUTORITATE INCLYTÆ

FACULTATIS JURIDICÆ

PRÆSIDE

DN. HENRICO BODINO

S. MAJEST. BORUSS. CONSIL. ECCLES. IN DUC. MAGDE
PROF. JUR. ORD. ET FACULTAT. JURID. h. r.
DECANO,

PATRONO SUO ÆTATEM DEVENERANDO

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILEGIA DO-
CTORALIA RITE CONSEQVENDI,

Ad D. 2. Maji M DCCI.

horis ante & pomeridianis

publicæ Eruditorum disquisitioni sistit

HENRICUS SIGISMUNDUS Eshard

Coldicio Mifn.

REC. HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITERIS JOHANNIS GRUNERI, ACAD, TYPOGR, 1712.

DISSERTATIO IN AENGURIA JURIDICA

AN TICIPAT
CONCURBITU

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMO
GERMANYNO PRASIDIS AC DOMINI
DN BRIDRICO VILHELMO

EX DECRETO ET AUTORITATE INCYTAE
FACULTATIS JURIDICAE

DR HENRICO BODING
PROF JUR ORD ET FACULTAT JURID. HA.

PRO DICENVA
SUMMOS IN TUOQUE JURE HONORES ET PRIVILEGIADO
GLORIA RITE CONSERVANDI

HENRIGUS SIGISMUNDUS
Collicio. Nihil.

LITERIS JOHANNIS GRONERLACAD, TYPOGR, 1712.





I. N. D. N. J. G.

Thef. I.



Ullum vinculum inter homines esse ma-
jus, nullam societatem sanctius colen-
dam, quam arctissimum conjugii socius,
utpote in quo ipse omnipotens Creator,
non sine maximo mysterio, immensum
suum amorem, ac communicationem
cum creatura, quodammodo adumbrare
voluit, & sapientes Ethnici & omnes ve-

Societatis Na-
pialts præ-
stantia

ri Christiani uno ore fatentur: Quod, si sine omni voluptate
carnali in spirituali arctissima communicatione, ad gloriam
& voluntatem Dei, & ad æternum ipsius verbum *Evangel.*, *Joh.*
c. 1. tanquam arborem vitæ *Joh. 6. v. 35. & seq. 1. Joh. 5. 20. Apoc.*
2. v. 7. & cap. 22. v. 2. in quo solo omnem felicitatem & vitam
æternam quærere debebant, *Gen. 3. v. 22.* primi parentes ce-
lebrassent, felix æternumque beatus status hominum man-
sisset. Sola vero sanctissimi hujus consociationis violatio,
totum mundum inquinavit, ac maledictionem omnibus po-
steris contraxit, ut qui in voluptatibus carnis conciperentur,
non nisi & carnalia naturaliter appetere possent *vid. Gen. 3. v.*
14. junct. Syrac. c. 21. v. 2. Disp. Dn. Pras. d. obl. for. jur. Div. in
præm. Quæ depravatio ex immutabili decreto Dei, per to-
tam vitam cuius; inextinguibilis est, etiamsi per arborem vitæ

hujus usus in
statu integri-
tatis

abusus in la-
psu, & pecca-
tum originis

in femine mulieris iterum manifestatam, nova vita in concinua inimicitia & pugna contra innatam concupiscentiam *vide Gen. 3. v. 13.* non sine dolore mentis regenerata concessa sit. Quamvis ergo hodie etiam propriae conjugis admistio sine impuritate esse non possit, cum & regius propheta, ex legitimo matrimonio natus, de se fateatur, quod in iniquitatibus conceptus sit, & mater in delictis ipsum pepererit *Ps. 51. v. 7.* quia tamen ipsum conjugium in se peccatum non est, ac conjugis licitus usus ad procreationem sobolis, (licet in hac peccaminosa carne culpa non carens *ibid. in fin.*) ad evitanda majora mala homini concessus est, *1. Cor. 7. v. 2. seq.* ideo concubitus, juxta Dei ordinationem ad procreationem sobolis institutus, judicio humano improbari non potest, dummodo hic inter illos intercedat, qui appropriatione corporum jus ad illum consecuti sunt. Quod jus partim divina, partim humana autoritate introductum ab omnibus imperio illo subiectis observari debet. Equidem cum matrimonii essentia non ab instituto humano, sed ab ipso naturae conditore Deo dependeat. *princ. Instit. de I. N. G. & C. Hugo Grot. de. I. B. OP. lib. 2. c. 5. §. 3.* contra ipsum ejus vinculum nulla humana autoritas quicquam operari poterit *§. 11. instit. d. I. N. G. & C. Matth. c. 19. v. 6. c. 5. v. 32. Luc. 16. v. 18.* ad evitanda tamen multa incommoda civilia, leges humanae nonnulla matrimonii requisita introduxerunt, quibus non observatis, non omnes forentes effectus exinde competunt, *vid. H. Gr. d. c. 5. n. 15.* quod eo minus iniquitatis habet, quo & leges humanae, autoritate divina subditos in conscientia obligant *Ep. ad Rom. 13. v. 11. Petr. 2. v. 13. Sapient. 8. v. 4.* Quia tamen saepius evenit, ut nondum adhibitis legum requisitis, futuri conjuges jus in corpora sua invicem concedant, vel sine omni jure tantum de facto concumbant, ex quo postea dubia juris occurrunt, operae pretium duxi, de hac in foro frequentissima materia festinanti calamo non

usus conjugii
hodie non est
sine culpa

Ejus usus licitus.

Leges humanae obligant in conscientia.

Scopus Disputationis.

nonnullas observationes loco Inauguralis Disputationis pu-
blicæ censuræ subicere, in qua difficultatibus plena materia,
si propter exiguum temporis, quod ad ejus elaborationem
mihi hac vice conceditur, desiderio Lectoris non satis fecerim,
vel quoque in aliquo aberraverim, amicæ admonitioni p̄i &
virtuosi Lectoris me commendo, cæterorum malevolorum
præpostera judicia vilipendens.

Th. II.

Dum autem hanc tractationem de anticipato concubitu inscripsi, conveniens erit hanc rubricam brevibus
explanare. Vocabulum autem anticipationis tam in jure no-
stro, quam apud Autores varias patitur acceptiones. Inter-
dum denotat præcautionem contra jura alias peritura, quo
sensu in *l. 2. C. de Vectigal.* sumitur, ubi dicitur, post quinquen-
nium de commisso vectigali agi non posse, nisi lite res antici-
pata fuerit, hoc est, nisi litis contestatione, vel Libelli porre-
ctione hæc præscriptio interrupta sit. Videatur *Col. ad. cap. illud.*
de præscr. n. 9. 11. & seq. n. 16. 17. It. Heigius Part. 1. quæst. 16. n. 54.
seq. Secundo vocabulum illud adhibitum legimus, ut idem de-
notare videatur, quod prævertere & impedire, quo sensu in *l. 3.*
C. de inoffic. donat. improbat, si quis iudicium suum supre-
mum, consiliis anticipare contenderit. Tertio, anticipatio
prædicatur de præconcepta opinione. Sic *Cic. Lib. 1. de. Nat.*
Deor. inquit: Quæ enim est gens, aut quod genus hominum,
quod non etiam sine doctrina anticipationem quandam Deo-
rum habeat. Quarto, anticipationis vocabulo sæpe figura
Rhetorica, alias prolepsis dicta denotatur, qua auditoris ani-
mus præoccupatur vide *Calep. Lexic. verbo anticipatio.* Deni-
que anticipatio proprie denotat, aliquid ante destinatum tem-
pus capere, quam ipsi competebat, aut solitum erat. Et in
hac ultima acceptione illam vocem hic sumo, ad denotan-
dum, de plane injusto & prohibito coitu, seu de vaga libidine,

aliisve delictis carnis hic non agendum, sed tantum de concubitu futurorum conjugum anticipato.

Th. III.

Quia autem de anticipatione concubitus recte tractatio institui non poterit, nisi prius de eo agatur, quid leges postulent, antequam conjuges licite coire possint, quibus non observatis concubitus anticipatus dicitur, paucis de eo quid jure naturæ & divino, postea quid humano ad contrahendum matrimonium requiratur, agendum erit. Quoniam autem matrimonium essentia sua est juris naturalis, & in conceptu conjugii nihil magis attendendum, quam ut secundum naturæ præceptum in eatur matrimonium, reliquæ considerationes vero potius eo pertineant, ut matrimonia solemnia certos in foro externo habeant effectus. Hinc præprimis de essentia matrimonii quoad jus naturæ solliciti esse debemus. vid. Dn. Præl. *addit. ad illustr. Dn. Rhetii medit. ad instit. disp. 5. posit. 2.* Existimamus autem, quod lex naturæ & divina ad essentiam conjugii nihil aliud requirat, quam appropriationem mulieris ad procreandam marito sobolem *H. Grotius d.l.n. 9.* quæ appropriatio ex publica traditione, ut scilicet omnibus innotescat hanc esse hujus mariti uxorem, oritur: Et quia ex traditione nemo jus consequi potest, nisi rem a vero domino, & qui jus tradendi habebat, acceperit, ideo etiam filia in potestate constituta, in proprietatem viri transire non potest, nisi huic ex patris voluntate tradita sit, in tantum ut hæc sola patris voluntas sufficiat, ad filiam etiam invitam matrimonio collocandam, vel denegandam *vid. Exod. 12. v. 7. & seqq. 22. v. 16. 17. Num. 30. v. 3. 4. 5.* In filiis vero, cum hi etiam ignorante, vel invito patre in cuius potestate sunt, aliquid acquirere possint, & maritus in potestatem, multo minus in dominium uxoris non transeat, parentum consensus ad essentiam constituendi matrimonii filii non requiritur, sed acquisitio uxoris tantum ex voluntate mariti, legitimi-

forma conjugii natura-
lis.

filii fam. valde matrimonium contrahit sine consensu patris, secus in filia.

gitime traditam accipientis, dependet, licet pietas & obsequium, parentibus debitum, per matrimonia contra parentum consentum contracta, offendatur, *vid. Addit. Dn. Præs. ad Illustr. Dn. de Retz. medit. ad Instit. jur. Disp. 5. Pos. 7.* Quod exemplo Esavi probatur, qui parentes suos gravi dolore affecit uxoribus contra voluntatem ipsorum ductis, quod factum non esset, si hæ pro uxoribus habitæ non fuissent, *Gen. 26. v. ult. & pen. junct. Gen. 28. v. 8. 9.* Neque huic distinctioni obstat, quod *1. ad Cor. 7. v. 4.* æquale jus conjugatis in corpora ipsorum invicem adscribitur; ille enim locus tantum de voto castitatis ab alterutro conjugum non præstando, agens, essentialem conceptum conjugii *Gen. 3. v. 10.* explicatum, non tollit.

Th. IV.

Hiscæ ita præmissis, jam quæritur, quid juris sit, si concubitus ante ullum declaratum consensum intervenerit, & ita anticipatus sit. Ubi bene notandum, quod in quæstione dicitur ante ullum consensum, per quod excludo, si utraque persona ad explendam tantum libidinem in fornicationem vel expresse, vel tacite consensit, ex quo nulla obligatio, nisi ad præstanda promissa inter ipsos in pari turpitudine versantes oritur, *vid. Gen. 38. v. 23.* in tantum, ut nec talis Stuprator partum exinde conceptum alere teneatur. *Vide Carpz. Jurispr. Conf. Lib. 3. Tit. 6. def. 81. n. 13. 14.* cura talis partus non patri, sed matri productus sit, *vide Addit. Dn. Præs. ad Rheti i med. inst. Disp. 5. Posit. 2. & 7.* Quæstio ergo tantum de muliere, hæctenus honesta per improbitatem alicujus viri ad stuprum seducta, intelligenda est; Ubi sane admodum periculosum est, in hac matrimoniali quæstione, de quibus Spiritus Sanctus omne arbitrium humanum excludere voluit, ab expressio Dei verbo recedere, sed cum simpliciter *Exod. 22. v. 16. 17. & Deut. 22. v. 28. 29.* mandatum sit, ut stuprator sine omni exceptione stupratam ducat, Republicæ quoque Christianæ admodum intersit, omni possibili

Stuprator
simpliciter co-
gendus stu-
pratam ducere.

modo præcavere, ne illa illegitima prole repleatur, Ecclesia quoque illam juris Divini sanctionem retinuerit *vide c. 1. §. 2. x. de Adult. Salycet. in l. cum qui duas C. ad L. Jul. de Adult. in casu confessi, vel legitime probati stupri, expedit e, stupratorem ad ducendam stupratam simpliciter cogere, quamvis nulla promissio matrimonii facta sit, cui ratio in contrarium de matrimonio libertate a Carpz. in Jurispr. Consistor. lib. 2. Def. 228. n. 10. adducta, eo minus hic obstabit, quo improbius est iudicari sapientiam à filiis ejus. Libera enim matrimonia esse debent antequam contrahantur: At postquam contracta sunt, vel per expressum, vel facto declaratum, vel ex lege naturæ præsumtum consensum, libertas transit in necessitatem observandi promissa, exemplo aliorum contractuum. l. 17. §. 3. ff. Com. mod. add. §. Illustr. Dn. Stryk. in Tr. de Dissensio Sponsal. Sect. 4. cap. 2. §. 4. Ibid. n. 5.*

Th. V.

Concubitus
purgat om-
nem imper-
fectionem
sponsaliorum

Multo magis igitur copula carnalis accedens tractatibus de sponsalibus, vel clandestinis promissionibus, vel verbis dubiis, ambiguis & jocosis prolatis, vel sponsalibus conditionatis, aut ab ebrio contractis, vel ex errore personæ commissa ad indissolubilitatem matrimonii obligat, imo omnia sponsalia, jure divino scilicet non prohibita, per concubitum redduntur indissolubilia *vide Bruckneri Dec. Matrim. P. 1. c. 4. §. 6. n. 31. usque ad 38. cum ibidem allegatis legibus & D. D. in tantum, ut licet ipse sponsus, præsentem & consentientem sponsam, protestatus fuerit, senolle per ejusmodi copulam matrimonio consentire & hoc implere, nihilominus tamen teneatur; quia hæc protestatio facto contraria est, vide Mascard. de Prob. Concl. 1027. n. 11. Menoch. lib. 3. pres. 1. n. 15.* Ex qua ratione quoque Regium Ducatus Magdeburgensis Consistorium Ecclesiasticum, in casu ubi maritus instituto processu divortii ex capite adulterii eodem durante, cum uxore carnaliter denuo coierat, ad litem

literas reversales ab eadem subscriptas, quod ille coitus, ipsi in jam dicto processu præjudicare non debeat, recte pronuntiavit. Das bey bewanten Umständen/die angestellte Ehe Scheidungs Klage nicht stat finde.

Th. VI.

Diximus in Thesi præcedenti, quod omnia sponsalia, jure Divino non prohibita, per concubitus reddantur insolubilia. Sed an concubitus quoque vitium consanguinitatis & affinitatis purget, in tantum, ut consummatum per concubitus matrimonium non sit dirimendum, dubio non caret. Nos sequentibus distinctionibus illam resolvimus: Aut concubitus ille contingit inter ascendentes & descendentes in linea recta, & ob insigne & detestabile scandalum, quod ejusmodi conjugium dirimi jubet. *Levit. 20. v. 11. 21. & 14.* tale peccatum scienter & pro ære-
Crim. P. 2. qu. 72. n. 20. Si vero casu fortuito, vel ex ignorantia
 commissum, gladio rescindendum erit *vide Carpz. Prax.* non inducis
 commissum, tunc simpliciter dissolvendum erit; & delinquentes ob scandalum, quod alii exinde capere possent, in provincia non tolerandi sunt. Vel concubitus inter collaterales, vel scienter vel ignoranter commissus. Priori casu iterum subdistingendum, an in Republica inter alios homines tale quid factum, & propterea quod scientes & sine necessitate contra expressum DEI præceptum peccaverunt, pro diversa conditione personarum, publice puniendi & dissolvendi erunt, aut in casu defectus aliorum hominum, & ita necessitatis, tale matrimonium contractum est, ut, si e.g. frater & soror in insula ab omni hominum consortio remota viventes, spem revertendi non haberent, atque ob solam propagationem sæbolis exemplo liberorum Adami, matrimonium inirent, tunc si demum casu fortuito reverterentur, illi æque ac si plane ignorantes tale matrimonium inirent, propriæ conscientie committendi, nec simpliciter disjungendi, ex Republica tamen, in qua hæc lan-

Concubitus
inter ascen-
dentes & des-
cendentes
non inducis
vinculum
conjugale.

In linea colla-
terali distin-
guendum,

guinis propinquitatis innotuit, ad vitandum scandalum merito migrare debent, & si re cognita invicem divertere velint, aliud tamen matrimonium, parte utraq; vivente illis non concedendum *add. D. Lynker. in Anal. ad D. Struv. Synt. Jur. Civ. Tit. de R. N. §. 38. & ad Locameri Instit. tit. 10. §. de Nupt. Mer. P. III. Dec. 399.* Licit enim talia matrimonia ad evitandas scortationes domesticas propter innatam pravam concupiscentiam jure Divino positivo prohibita, non tamen in se contra jus naturæ ac inde plane irrita sunt. *vid. H. Grot. de J. B. & P. L. 2. cap. 5. §. 10.* Ex quo eo magis sequitur, quod si concubitus intervenerit, in gradu jure humano prohibito tale matrimonium pro irritato declarandum non esse. *Addatur. Richt. Vol. 1. P. 2. Conf. 7.* quæ in vis enim istius modi contrahentibus in foro externo ex illo facto prohibito nulla competat actio, in conscientia tamen obligati manent, & humana majestas talia matrimonia prorsus resolvere nequit per *Dictum Gen. 2. v. 24. & Matth. 19. v. 5. 6. vid. Dn. Præf. Addit. ad Rhetz. disp. 5. pos. 9. 10. & 23.*

nulla prohibi-
tio iuris hu-
mani vincu-
um coniugii
collere potest

Th. VII.

Hactenus de illis casibus, quibus non agitur de jure tertii; Nunc quoque ad illas quæstiones pergemus, si alia concurrat persona in cujus præjudicium talis concubitus tendere dicatur. Versatur autem Interesse tertii vel respectu personarum, quæ etiam matrimonium prætentunt, vel respectu parentum contradicentium. Quando autem duæ concurrunt personæ quarum utraq; ad matrimonium ineundum agit, tum in omnibus, illis casibus si scilicet concubitus ad sponsalia perfecta, vel imperfecta accesserit, vel etiam copula carnalis sine ulla promissione matrimonii facta sit, antequam alia sponsalia, sive publica, sive clandestina fuerint celebrata, sive his postea etiam concubitus accesserit, sive non, præferentia ex concubitus prioritare desumenda, quia ex concubitu cum puella de cætero honesta, consensus matrimonii præ-

ubi pluribus
matrimonium
promissum
stuprata in-
distingue præ-
ferenda.

su

sumendus est, dum ad minimum stuprator scire debuit, quod secundum verbum DEI stupratam simpliciter ducere teneatur, & quod ita per concubitum ipsum matrimonium naturaliter ineatur, *Add. Bruckneri Dec. matrimon. Part. 1. c. 4. §. 41. & 42. cum ibid. alleg.* quod in tantum verum esse existimamus, ut licet sponsus contra primam allegare velit, quod cum stuprata tantum fornicatio, cum posteriori desponsata autem conjugali animo & intentione se commiscuerit, hoc illum tamen non relevaret, quia propriam turpitudinem allegans, fidem non meretur, præsumtio etiam pro priori commixtione est juris & de jure, quæ probationem in contrarium non admittit. *add. c. 15. & 30. X. de Sponsal. Illustr. Dn. Stryk. in Tract. de Dissensu Sponsi. Sect. 4. cap. 3. §. 3. 4. 5. 6. 7. Dn. Pres. Dissert. de error. circa matrim. th. 13.* Et idem jus obtinebit, quamvis aliquis cum persona consanguinea, aut affine in gradu jure tantum positivo humano prohibito, concubuerit. Lex enim Divina prævalet humanæ, licet ob transgressionem legis civilis peccantes in foro politico puniendi sint. De qua materia infra fusius agemus.

Th. VIII.

Vexata porro inter Doctores quæstio est de eo, qui cum sponsa priori sponsalia publica ritè celebraverit, postea vero clandestina, vel alio modo imperfecta sponsalia contraxerit, vel etiam alia sponsalia publica celebraverit, hæcque posteriora concubitu consummaverit, quænam sponsalia sint præferenda? Nos posteriora sponsalia per concubitum consummata prioribus publicis indistinctè præferenda esse existimamus, ex rationibus; quod per sponsalia de contrahendo matrimonio, personæ desponsatæ consequantur tantum jus personale, per sponsalia autem cum concubitu simul jus reale. Et ita, licet prior sponsa rectè agat ad interessè, posterior tamen potius jus ex ipsa conjunctione corporum cum consensu ad matrimoni-

De concubitu posterioribus sponsalibus accedente.

um conjuncta nanciscitur. Confirmant ea quæ habent *Brucknerus* antea citato loco §. 45. 46. 47. & 48. *ibid. alleg. Cypræus de Spons. c. 10.* & 25. & *Muller. de Hierologia Sect. 6. Tb. 3* Nec obstat l. 30. ff. de R. 7. Consentus enim ibidem non simplicem promissionem denotat; quia talis sine adimpletione adhuc nudus, sponsalia tantum efficit. *per l. 4. princ. ff. de Spons.* Sed tantum illud ibidem dicitur, quod post interpositum conjugalem consensum, ubi scilicet quis mulierem legitime in tuam conjugem jam accepit, ita, ut jam tradita uti possit ad actus conjugales, uti loquitur *Can. 38. caus. 27. qu. 2.* licet concubitus ipso actu nondum accesserit, uxor tamen alenda sit *videl. s. 6. ff. de ritu nupt.* Et quamvis *Illustr. Dn. Stryk. in Tr. de Dissensu Spons. Sect. 4. c. 2. §. 1. 3. & 4. Sc. 3. §. 3. It. Brucknerus* qui illum sequitur in *Decis. matrimon. Part. I. c. 4. §. 40. 3.* & seq. ex rationibus non spernendis contrarium asserant, procul dubio præsupponentes illum casum, quem *Illustr. Dn. Stryk. dict. Sect. 4. c. 1. §. 7.* expressit, da nemlich beyde Personen sich einander die Ehe per verba de præsentibus auffs Priestlerliche Copulation versprechen. Sponsalia tamen illa utut solennia, naturam tamen sponsaliorum retinent, & matrimonium imposteriorum contrahendum respiciunt. Quæ sponsalia etiam tanquam titulus habilis, ita necessario præcedere debent, ut pro justis nuptiis haberi non possint, si femina sine præcedente sponsalicio contentu viro tradatur. *Cap. 6. 13. 14. 21. 29. X. de Sponsal. & matrim. & Can. 2. caus. 27. qu. 2.* ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiravit sponsus dilatam *vid. Can. 39. caus. 27. qu. 2.* Si tamen in sponsalibus talis traditio fieret, ut ab eo tempore ita tradita tanquam legitima uxore uti, & sic ille actus rite conjugium vocari posset. *per mod. cit. Can. 38. caus. 27. qu. 2.* tunc contrariæ tententiæ subscriberemus. Sed hic casus hodie non est dabilis, cum ad hoc, ut sponsa in usum & proprietatem mariti transeat, publica & corporalis simul &

Sponsalia de
præsentibus pu-
blica per con-
cubium cum
alia dissolvun-
tur,

mi

c. 11

fo

solennis requiratur traditio, qua nondum adhibita si invicem desponsati usum corporum præstiterint, & externas pœnas stupri incurrunt, & Clerus publica autoritate ex suggestu talem traditionem magno cum fervore damnat, ipsique dissentientes agnoscunt, de consuetudine totius fere Germaniæ invaluisse, ut sponsalia de præsentibus non antea pro vero & perfecto matrimonio habeantur, quam post nuptias & benedictionem Sacerdotalem *vid. Constit. Elect. Saxon. P. 11. Harprecht in Rubr. Instit. de Nupt. n. 7. Sigor. quos allegat. Illustr. Dn. Stryk. dicta Sect. 4. c. 5. §. 1. in fine.* Quod etiam ex eo solo apparet, dum fere omnes, varias causas dissolvendorum talium sponsaliorum de præsentibus admittant, quæ matrimonium contractum dissolvere non possunt. *vid. Struv. Syn. J. Civ. Ex. 29. th. 14. cum alleg.* Si vero sponsalia de præsentibus in sensu juris Canonici pro plenaria traditione corporum ad usus conjugales sumantur; *vid. c. 3. X. de Spons. duor.* ita, ut tantum benedictio sacerdotalis omissa sit, tunc illa pro vero & perfecto matrimonio habenda esse non dubitamus. *Vid. Dn. Pres. Add. ad Rhet. Inst. Disp. 5. pos. 4.*

Th. IX

Brevibus hoc loco addimus, quod si concubitus plane negetur, & mulier imprægnata nullis contra se militantibus prægnantibus indicibus gravata, sed pro honesta virgine, vel vidua huc usque habita fuerit, & illa quædam adminicula, scilicet conversationis familiaris, frequentis aditus, vel remoti loci & temporis, &c. adduxerit, tunc illam ad juramentum suppletorium merito admittendam esse. *vide Dn. Pres. in Dissert. de err. circa matrim. Th. 13. in fine. Addatur Alciat. de præsumpt. Reg. 3. pres. 38. n. 1.* Ille autem qui fatetur concubitus, puellam vero non invenisse virginem dicit, exceptione audiendus non est, sed eo ipso, quod concubitus cum illa consummaverit, in matrimonium cum viciata consensisse videtur. Argumento illorum quæ diximus in *th. 3. §. 4.*

B 3

Th. X.

quemque sibi seorsim in propria familia uxorem habere conveniat; unde & talis fratrum & fororum conjunctio tanquam Deo abominabilis, & in qua sese inquinaverant gentes, absolute prohibita est. *Levit. c. 18. v. 9. & c. 20. v. 17.* in tantum ut ibidem voluptuosa aspectio nuditatum fratris & sororis invicem, pro capitali crimine condemnetur, sc. quo eo magis prae- caveant & ipsi & parentes eorum, ne nuditatis detectio- ne inter se, ansam dent abominabili carnis concupiscen- tia. Quod si ergo non in eadem familia educati, & ante- quam cognoverint se fratres & sorores esse, in conjugium coierint, & sic nuditates invicem detexerint, quas nescie- bant fratris & sororis nuditatem esse, in illis prohibitio- nem juris divini cessare, ac tales personas, re comperta, propriae conscientiae committendas, non vero matrimo- nium inter illas dissolvendum esse exiltimamus, licet re- cte jubeantur in alium locum migrare, in quo de illorum tam arcta sanguinis conjunctione non constat; uti ali- quando in casu ubi alicujus centurionis uxor in Ameri- ca filium enixa & in puerperio mortua, marito ibidem paulo post moriente, dum filius ille post majorennitatis annos in Belgium reversus, Antwerpiae uxorem duxe- rat, de qua post aliquot annos & procreatos cum illa qua- tuor liberos, emergebat, hanc ejusdem matris, cum alio viro enixam filiam fuisse, decisum esse, relatum nobis est; Nuper quoque casus in Vicina Germaniae provincia con- tigit, ubi aliquis cum impraegnata data pecunia transegit, ut illa partui suo alium patrem quaereret, quo facto filius exinde natus, postea singulari fato veri sui patris, (quod ignorabat) filiam consentientem, clam abduxit, eamque sibi matrimonio junxit, cui pater, conscientiae ductu
rem

*citra illam
involunta-
rie contra-
ctum non
rescinden-
dum.*

rem manifestando, sese opponit; & jam causa vertitur, quid de harum personarum conjugio sit statuendum.

Th. IX.

Quia ergo non propter sanguinis propinquitatem, *Uxoris patris* sed ad evitandam familiae turpitudinem, inter illos qui a *que patri peperit filiam* teneris familiares sunt, matrimonium inter fratres & sorores prorsus est illicitum, idem vero etiam contingat inter *ducere non licet.* juvenes comprivignos, quorum mater patri adhuc peperit, & qui ita communem habentes fratrem sororemve, inter se quasi fraterno vinculo junguntur, hinc & horum conjugium a Deo prohibitum, illicitum & detestabile est. *Levit. c. 18. v. 11.* quamvis enim B. Lutherus dictum locum passive explicaverit, *die desnen Vater geböhren ist/* tamen cum in *vers. 9.* precedenti, manifeste jam prohibitum fuerit, etiam illam uxorem ducere quæ tantum patris filia & sic consanguinea est, & admodum absurdum foret tam proluxa descriptione, filiae uxoris patris sui eandem prohibitionem statim repetere, & tam textus Ebreus hic sensum activum admittat, quam etiam aliae versiones eundem sensum confirmant, sc. *die desnen Vater geböhren hat;* Ideo comprivignorum una cum partu ex ultimo thoro progenito simul educatorum conjugium, illicitum & nullum judicamus, licet nulla inter tales personas vel cognatio vel affinitas subsistat; Si vero Senex pater filium adultum habens cum Muliere non juvene ex priori thoro filiam puberem habenti conjugium ineat, nihil oberit, quin hi comprivigni conjugio jungi possint: ex simili ratione honestatis domesticae non esse admittendum censemus, si filius matrem, pater filiam uxorem ducere vellet, cum hoc omnem *Filius patris socr fieri non debet licet cognatio vel affinitas subsistat.*

debeat notandum, illam per improbitatem stupratoris patri invito auferri non posse; cum & ipse Deus in patris arbitrio reliquerit, humiliatam virginem stupratori in matrimonium collocare, vel loco ejusdem aliam satisfactionem accipere. *Exod. 22. v. 16. 17. Deut. 22. v. 28. 29.* cum ille per hoc nemini faciat injuriam, si opprobrium filiae, quod ad ipsius familiae pudorem pertingit, ferre velit; Quamvis hic casus raro contingat, cum stupidus videatur, qui desloratam sponte Domi retinet, quam sub culpa confessione, poenae deprecatione, amicorum intercedentium & ipsius magistratus consilio, honesto matrimonio collocare poterat, & hac ratione quotidianum scandalum familiae abstergere. Nisi gravissima causa gravioris ignominiae, vel latentis peccati ab eo deterreat. *vide Brouer. dict. c. 13. n. 5.*

Th. XIII.

Aliud tamen dicendum est, si parentes quæsitum à liberis consensum, sine ratione & ex morositate denegassent. *vide Carpzov. Jur. Prud. Consistor. Lib. 2. Tit. 3. Defin. 53. & 57. Mer. Part. 8. Decis. 122. §. 8.* Cum autem jure naturæ consensus parentum non sit de essentia matrimonii, illudque jus parentum, ob solam potestatem, ultra domestica ex educatione orientia officia, non concedatur. *Vid. Grot. de J. B. & P. Lib. 2. c. 5. §. 2. & Brouver. de Jure Connub. Lib. 1. c. 5. n. 10. 11.* Jus quoque divinum positivum, matrimonium invitis parentibus contractum, non plane annullat, vel irritum faciat, hinc illi, qui invitis parentibus in plenariam corporum traditionem ad procreandam sobolem consentiunt, accedente præprimis actuali consobitu, naturaliter matrimonium ineunt, & alteri in foro conscientiae obligatus manet, imo cum alia persona nec sponsalia, nec matrimonium juste contrahere poterunt, quamvis ex priori promissione ob dissensum parentum actio

si parentes consentire nolint, quid iuris.

actio in foro externo locum non habeat, nec contrahentes quoad civiles effectus vir & uxor habeantur. Multo minus igitur parentibus forte interim mortuis exceptio non impetrati consensus parentum, tanquam peccati contra parentes commissi refragantem liberabit, ne ex propria turpitudine jus aliquod concedatur. *Vide Dissert. Dn. Prasf. de Error. circa matrim. th. 12.*

Th. XIV

Cum autem hodie inter illos qui non illustri sanguine nati sunt præter naturalem utrique parentum debitam pietatem & obsequium *l. 6. ff. de in jus voc. tor. Tit. de obseq. parentum* & patr. præf. patriæ potestatis jura in aliis causis non ita strictè observentur. *Vide Dn. Prasf. in dict. Disp. s. ad Instit. Posit. 1. & seq.* & liberi matrimonium ineuntes secundum communem D.D. opinionem, tacita emancipatione ex patria potestate exeant, non facile in illorum sponfalibus concubitu confirmatis dissentus parentum attendendus erit, quamvis re adhuc integra liberi in familia parentum adhuc constituti, quoad effectum civilem consentu parentum opus habeant, vel executio differenda, quamdiu sub potestate patris vivunt. Sicuti in omni obligatione filii familias executio differtur. *Struv. Syntagm. Jur. Civ. Exerc. 20. th. 47. & Exerc. 9. th. 6.*

Th. XV.

Liberi tamen contra consensum parentum coeuntes gravissimè in Deum peccant, & illis ultio divina manet. Quale exemplum Apostolus Paulus *ad Hebr. 12. v. 16. 17.* de Esayo adducit, ac in iplo foro externo illi contemptores paterni obsequii carcere aliove modo puniuntur, & si parentes velint, commo hæreditatis quodammodo privantur. De jure quidem Digestorum plane exheredari poterant *l. 3. §. 5. ff. de bonor. poss.*

C

sess.

& in foro ex-
terno etiam
non manent
impuniti.

sess. contratab. quod licet jure novo mutatum. *vid. l. 18. C. de in off. testam. §. Nov. 115. c. 3.* ab hereditate tamen, quoad legitimam recte arcentur adde *Illustr. Dn. Stryk. de Dissensu sponsal. Sect. 4. cap. 1. §. 33.* Maritus quoque dotem exigere nequit *vid. l. fin. C. de Repud. §. Nov. 22. c. 19.* sed maritus ipse dotem tenetur. Quod & ipsa sacra scriptura innuit. *Exod. 22. v. 16. Deut. 22. v. 29.* quod in tantum verum esse arbitramur, ut licet pater post commissum concubitum in matrimonium consenserit, nihilominus recusare possit dotem dare. Videtur enim post concubitum in matrimonium consensisse, tantum ad evitandum opprobrium filiae, quod etiam ad suum pudorem pertingit, non autem ad plenariam injuriam sibi illatae remissionem; Et quoniam nuptiae sine dote esse possunt *vid. l. 11. in princ. C. de repud. §. Nov. 74. c. 4.* hinc per consensum in matrimonium sese ad dotandum non obligavit.

Th. XVI.

Benedictio sa-
cerdotalis non
est de essentia
matrimonii

Jam paucis adhuc examinabimus, quosnam effectus habeat concubitus, qui anticipavit benedictionem sacerdotalem. Hoc, ut eo melius fieri possit, quaeritur primò: An benedictio sacerdotalis sit de essentia matrimonii? Ubi ex praecedentibus jam colligendum, quod ad constitutionem matrimonii, realis quidem & vera traditio requiratur, quae ut plurimum publica & solennis esse debet, ut publice omnibus innotescat, hanc foeminam esse hujus viri uxorem. *vide H. Grot. de J. B. §. P. Lib. 2. c. 5. n. 8. & Can. si quis despons. caus. 27. qu. 2.* Et quam lubentissime etiam hoc largimur, quod benedictio tanquam mos vetustissimus sit pius Christianorum ritus, ut matrimonium, quod tum ratione institutionis *Gen. 1. v. 28.* tum quia Deus ipse unumquemque suae uxori jungit *Gen. 24. per tot. & praeprimis v. 50.* & Dei foedus appellatur *Prov. 2. v. 17.* quodque Reipublicae & Ecclesiae seminarium, ex quo totius & hujus

hujus, aliquando etiam aeternae vitae felicitas, vel calamitas dependet, non nisi Deo autore & fuis ad eum in facie Ecclesiae ardentibus precibus initium habeat. *vid. Brouer de Jure Connub. Lib. 2. cap. 27. n. 5. § 14. Qui tamen juri Canonico nimis tribuit, & Jus Civile sine ratione improbat.* Quamvis si primam originem hujus moris inspiciamus, Ecclesia ab antiquis temporibus nihil singulare in matrimonialibus habuit. Sed omnes fore contractus in conventu cætus fidelium celebrati sunt, ut cuius constaret absque omni fraude illud partibus placuisse. Sic & desponsationes & maxime traditiones uxorum eodem modo celebrabantur, ubi Sacerdotes, & Antistites tanquam primi in Ecclesia simul adstabant, & negotio peracto huic gratulationem & benedictionem addebant, qui pius mos introduceta tyrannide Papali ita in necessitatem conversus, ut matrimonium inter sacramentum numeratum, & non aliter, nisi Clericorum administratione & autoritate initiari posse, creditum atque injunctum fuerit. *Dn. Praef. Diss. de error. circa matrim. th. 14.* Hæc tamen & similia argumenta nullatenus evincunt, quod benedictio sacerdotalis sit de essentia matrimonii. Hoc enim nec ex jure divino, nec ex jure civili probari poterit; quod autem jus Canonicum nimium tribuat benedictioni sacerdotali, hoc ex falsa Pontificum hypothese, dum matrimonium inter Sacramentum retulerant, factum est. *addatur Feldmann Decad. I. Dec. 8. n. 4.* Si ergo deliberato consensui mulieris traditio ad procreandam sobolem, quod ex concubitu præsumitur, accessit, verum matrimonium est, licet benedictio sacerdotalis adhibita non fuerit, quod & ipsum Jus Canonicum confirmat *vid. c. 3. X. de Spons. duorum. Cam. si quis Caus. 27. qu. 2.* Hinc etiam liberi ex tali conjunctione nati pro legitimis habendi sunt, & patri succedunt. *Cap. 9. X. de Spons. §. matrim. cap. 1. § 2. X. de Spons. duor. Illustr. Dn. Strijk. in Tr. de Success. ab Invest. Diss. I. Cap. 2. §. 49. Struv. Syn.*

1 agm. Jur. Civ. Exerc. 29. th. 26. §. Syntagm. Jur. Feud. c. 9. aph. 3. ibique num. 13. [Nec [sponsus] eapropter, quod sponfam ante copulam sacerdotalem imprægnavit, à collegio excludendus illustr. Dn. Stryk. in. Tr. de dissens. Sponsal. Sect. 4. cap. 1. §. 28. Si vero bina sponsalia quis contraxerit, cumque una sponsa concubuerit, cum altera autem per benedictionem sacerdotalem jam nuptias celebraverit, hæc quæ publice tradita est, alteri stupratæ erit præferenda, non quidem propterea, quasi benedictio sacerdotalis hoc tribueret, sed cum per factam traditionem publicam potius jus adeptæ sit, & ipsi in foro humano nihil imputari possit, eo quod omnia fecit, quæ facere potuit, deflorata autem sibi imputare debeat, quod contra leges civiles ante nuptias solennes concubuerit. Conjugi enim legitime traditæ jus semel quæsitum facto alterius per legem civilem illicito auferri nequit. Carpzov. Jur. Pr. Consist. de Spons. cap. 10. §. 25. §. 26. Dn. Müller. de Hierologia Sect. 6. th. 4. Si tamen per benedictionem sacerdotalem copulata in fraudem defloratæ egerit, tunc etiam non attentata publica traditione matrimonium dirimendum, & stuprata præferenda est. Dolus enim nemini prodesse debet.

Th. XVII.

Anticipatus
concubitus
ante benedict.
Sacerdot, pu-
blica depreca-
tione non recte
coeretur.

Coronidis loco addimus illam quæstionem, utrum anticipatio concubitus ante benedictionem sacerdotalem publica deprecatione recte coerceatur. Nos negamus ex ratione jam allata, quod scilicet illa benedictio jure divino non requiratur, sed per consensum ad procreationem tobolishabilem ipsum verum matrimonium contrahatur. Ubi igitur directo transgressio legis divinæ non est aperta, ibi bannum Ecclesiasticum & per consequens poenitentia Ecclesiastica locum non habet. Nec nos movet in contrariam sententiam, quod concubitus anticipetur ex libidine. Quod si enim illa libido publice deprecanda

canda esset, tunc Clerici concumbentes cum propriis uxori-
 bus ad pœnitentiam Ecclesiasticam ipsi cogendi essent. Nul-
 lus enim concubitus in statu corrupto plane sine labe & culpa
 esse potest. *Can. 10. caus. 27. qu. 2. & Can. 7. caus. 33. qu. 4. Add. th.*
hujus Dissert. Tum quoq; concubitus cum sponsa procreanda lo-
 bolis causa factus esse præsumitur. Nam quoad externam ani-
 madversionem quod mitius est, merito præsumit & de occultis
 non judicat Ecclesia, sed hæc cujusvis conscientie & reservatis
 ipsius DEI merito relinquit. Nec jus Canonicum, quod ex falsa
 hypothese Sacramenti ita disponit, inter protestantes atten-
 dendum, sed transgressores legis civilis in foro civili pœna ex-
 traordinaria plectendi, non autem in Bannum Ecclesiasticum
 conjiciendi sunt. *Carpzov. Jur. Pr. Consistor. Lib. 3. Tit. 6.*
Defin. 77. Non enim ob unam quamque imbecillitatem hu-
 manam, sed ob enorme, atrox & universo cœtui scandalosum
 facinus bannum declarandum. Amore & commiseratione
 Christiana hic potius opus est, homo (qui inexcusabilis
 coram Deo, judicando alios & non cogitando quod ipsum, si
 forte in statu magis pio se constitutum inveniat, gratia & be-
 nignitas divina ad pœnitentiam invitaverit) se ipsum judicet,
 nec in Salvatoris nostri increpationem incidat. *Luc. 6. v. 41, 42.*
Vide sup. de hac materia Dr. Præs. in Dissert. de jure inhum. Concl.
3. per. 101. ubi etiam inconvenientia hodie usitati modi pœni-
 tentie Ecclesiasticæ argumentis probatur. Cum autem hæc
 materia peculiarem mereatur disputationem, hic abrumpi-
 mus. Ulteriolem vero hujus quæstionis desiderans ex-
 plicationem consulere poterit Domini Menzeri quæstio-
 nem Hierologic. num sponsis ante solennem in Eccle-
 sia copulationem & benedictionem concumbentibus publica
 pœnitentia juste imponatur. Qui auctor contrariam quidem
 sententiam contra nos approbat, illorum tamen argumenta,
 qui nobiscum sentiunt, satis prolixè adducit. Licet insuper

multa ad hanc materiam spectantia restent, spatiis tamen hac
 vice exclusus hic bono cum Deo subsisto. Quæ autem in hac
 dissertatione inter alia negotia festinanti calamo conscripti, ut
 æqui bonique consulantur, quæque irreperunt errata ty-
 pographica, bene corrigantur, est, quod B. L.
 obnixè & decenter rogo.

COROLLARIA.

I.

Concubitus cum decrepita & senio con-
 fecta muliere, tanquam contra mora-
 litatem & jus divinum commissus nul-
 lum juris effectum habet, multo minus
 juvenis cum vetula concumbens, pro-
 pterea ad matrimonium ineundum
 cogi potest.

II.

Affinitas per commixtionem carnalem
 contrahitur.

III. Ma-

III.

Matrimonium cum persona ad procreationem sobolis evidenter inhabili retro declarandum est nullum.

IV.

Matrimonium in statu hoc corrupto etiam naturaliter indissolubile est.

V.

Desponsati bona cum gratia a sponsalibus recedere volentes, ad matrimonium ineundum inviti cogi nequeunt.

VI.

Sponsalia rite contracta ob dissensum unius dissolvenda sunt, & persona dissentiens alteri ad interesse tenetur.

VII.

Quæ unius libidini ex amoris abundantia succubuit, non est meretrix, nec infamis.

IIX. So-

VIII.

Sola propagatio sobolis, & non mutuum
adjutorium est finis conjugii.

IX.

Verum adulterium non committitur nisi
in conjugatam.

X.

Ad poenitentiam Ecclesiasticam nemo co-
gendus est.


XI.


Copula sacerdotalis ficta nihil operatur.


XII.


Uxor in actibus conjugii & ad procreatio-
nem & educationem tendentibus, non
in aliis mariti Imperio subiecta est.











00 A 6371

ULB Halle


3


002 916 614



1217







DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE
**ANTICIPATIONE
CONCUBITU,**

24
QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO VVILHELMO
REGNI BORUSSIAE ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HEREDE, &c. &c. &c.
EX DECRETO ET AUTORITATE INCLYTAE
FACULTATIS JURIDICAE
P R A E S I D E

DN. HENRICO BODINO
S. MAJEST. BORUSS. CONSIL. ECCLES. IN DUC. MAGDE.
PROF. JUR. ORD. ET FACULTAT. JURID. h. t.
DECANO,

PATRONO SUO AETATEM DEVENERANDO
PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILEGIADO-
CTORALIA RITE CONSEQUENDI,

Ad D. 2. Maji M DCC L.

horis ante & pomeridianis

publica Eruditorum disquisitioni sistit

HENRICUS SIGISMUNDUS Ebbard
Coldicio Mifn.

REC. HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITERIS JOHANNIS GRUNERI, ACAD. TYPOGR. 1712.

